HORRIBILIS HISTORIA DE PUELLA ANNO LIX a Diabolo obſeſſa.

Carmine reddita a Laurentio Span:

Diſcite iuſtitiam moneo, totoq; parati,
  Quæ ſunt grata deo, pectore ſponte ſequi
Sobria deîn precibus uigiles ieiunia crebris
  Iungite, ne ſimili uos petat arte Sathan
Imbellem contra quia non contendimus hoſtem,
  Qualis ab humano ſanguine cretus adeſt.
Agmina ſpirituum uolitantia in aere bellum
  Nos contra ualidis uiribus acre gerunt.
His duce ni Chriſto uerboq; fideq; reſiſtas,
  Te miſerum grandis pœna, laborq; manet
L. S.

Matthæus Collinus Lectori.

Longanimis deus est: ideo, peccata priusquam
Puniat, haud uno nos monet inditio.
Vidimus in terris, & in áëre signa, quot ætas
Non aliâs unquam, uiderat ulla simul.
Nunc hac, nunc alia clemens Deus arte, uiáq;
Ad resipiscendum pectora nostra uocat,
Et quia nec signis, nec uiua uoce mouemur
Numinis, hinc illinc quam pia turba sonat,
Iam per pollutos insueto more ministros
Demonas in rectam nos iubet ire uiam.
Iustitiæq; facit præcones, nequitiarum
Qui sunt autores, iustitiáq; carent.
Scilicet, ut reprobis nulla excusatio restet,
Implacabilius iudiciumq; ferant.
Hæc Epicureo perpendant degrege porci.
Omnia qui rident sacra, Deumq; negant
Et, quos luxuries uitijs, odijsq; superba
Mens inflammatos pellit ad omne nefas.

MAGNIFI-CO DOMINO CHRI-ſtophoro a Iandorf &c. Auguſtiſſi-mi Romanorum Imperatoris Ferdi-nandi, Cameræ Conſi-liario &c.

Domino & Patrono ſuo obſeruando.

MAGNIFICE DOMI-ne Chriſtophore patrone obſeruanter colende. Va-ria & illuſtria ſigna iræ & miſericordiæ hoc noſtro tẽ-pore Deus optimus maximus exhi-buit, quibus nos ad pænitentiam reuo-cat, & vitæ æternæ inſtantiq; iudicio præparare vult. Sed inter omnia hæc, quæ nobis comperta ſunt, longe gra-uiſſimum ſignum & nobis inauditum eſt, quod Platnæ accidit in obſeſſa a Diabolo quadam puella. Cum enim alia, vt conſueta & familiaria ocioſo nimisq; ſecuro prætereamus animo,

uult dubio procul Deus horribili eo miraculo lentos & frigidos noſtros animos accendi, & excitari ad veræ pietatis ſtudium, modeſtiam, & ardentem inuocationem. Quod cum omnibus notum eſſe debeat, exiſtimaui, me non inepte facturum, ſi in latina lingua hiſtoriam hanc deſcriberem. Subij itaq; & confeci laborem hunc, eumq; bonis viris non ingratum fore arbitror.

Tuæ autem præſtantiæ patrone colende hoc, quicquid eſt muneris, offero, vt, cum alia re officioſam meam erga te obſeruantiam declarare non poſsim, voluntatem ſaltem meam non ſimulatam tibi teſter: petoq;, vt, quod cæpiſti, in poſterum quoq; me, meaq; ſtudia commendata habeas. Bene Vale.

Laurentius Span:
a Sſpanouu.

HISTORIA DE PVELLA OBSESSA A DIABOLO.

GEsta fide certa nostris res nuper in oris
  Dicetur tenui carminis arte mihi,
Lector ades, uacuamq; gerens ad seria mentem
  Quæ referam, medio pectoris abde sinu
Pugnat in humanum uarijs genus artibus ille
  Pulsus olympiaca turpiter arce Sathan.
Nam quia uirginei prostratus Seminis armis
  In caput hoc nulla ui resilire potest.
Euomit in Christi iam uirus membra malignum,
  Nititur atq; suis hæc spoliare bonis
Omnibus inuoluens mortalia pectora culpis,
  Vt prædam in stygias agmine ducat aquas.
Nec sat habet, uitæ pœnis seruare futuræ,
  Nouit in arbitrio quos fore deinde suo,
Captat eos etiam uita petulanter in ista,
  In quos nil penitus Bestia iuris habet
Sic quondam uarie patientem preßit Iobum
  Numinis ad ueniam corpore req; simul.
Et nunc temporibus postremis carcere liber
  Tartareo longe sæuius ille furit
Cum locat in Christi se uiuida templa scelestus,
  Hæcq; hominum spreta frangit, & angit ope

Non concepta mihi narratur fabula, testis
    Historiæ uerax est mihi fama nouæ.
Qua uestit fines terræ nigra silua Bohemæ,
    Inq; Variscorum cernua spectat humum
Hac iacet oppidulum seruato nomine Platna,
    Victum ubi quæsito ciuis ab ære parat
Hos inter fabro maturis nubilis annis
    Asseruata domi filia uirgo fuit,
Non ea par multis hac nostra ætate puellis,
    Illecebris studuit desidiosa malis,
Sed fugiens omnis luxus, patiensq; laborum,
    Quos docuit matris, præuia cura piæ
Templa frequentauit festis operosa diebus,
    Inq; Dei uerbum tam studiosa fuit,
Quamlibet ut memori recitaret uoce, per annum
    Quæ solet a mysta lectio sacra legi:
Ritibus usa pijs, misteria sumpsit & illa,
    Quæ populus Christi pignus amoris habet.
Nec minus & uitam cum laude peregit honestam,
    Dum studuit famam labe carere suam
Non tamen insidias ualuit uitare furentis
    Dæmonis insuetis capta misella dolis
Cumq; lupercorum festo inuisißet amicam
    Pro patriæ, & gentis moribus Anna suæ,
(Nomen ei fuit hoc, quamuis hanc postmodo Dæmon
    Margarin insulsam, dixerit atq; nigram)
Improbus in potum Cacodæmon labitur illum,
    Quem sumptura siti uirgo premente fuit

Vt bibit, ut perijt, tamen hoc non protinus in se
Tam graue tam dirum sensit ipse malum.
Sed spacio primi decumbens languida mensis
Concußa est motu sæpius illa graui,
Herculeum ueluti morbum pateretur, & illa
Quilibet oppreßam credidit eße lue
Simplices quapropter pro credulitate parentes
Diuinatrices consuluere lupas
Nec tamen ex illis poterant cognoscere causam,
Auxiliatricem nec reperire uiam.
Donec sub letæ uenientia iubila paschæ
Ipse suum præsens proderet autor opus:
Et modò par auculo, modò sumpto corpore corui
Obseßo uoces misit ab ore pares,
Tum ueró trepidi morbum agnouêre parentes
Et petijt reliquas hæc quoq; fama domos.
Vndiq; conuenêre homines, quos cernere facti
Inuasit studium tristia gesta noui
Hos primò placidè uerbis excepit amicis,
Et uisa est aliqua uirgo quiete frui:
Vt uerò inseruit Christi quis nomen Iesu,
Protinus horribiles ædidit illa sonos
Haud aliter, quam, quæ syluis deserta remansit,
Mugit, & ignotam bucula tundit humum
Tanta mole stygis sese Dux intus agebat,
Et uarium in uincto corpore lusit opus:
O quoties illam tota ceruice reflexit,
Extorsitq; oculos turpiter ante caput

O quoties linguam contexti uiminis instar
In longum patulo traxit ab ore procul?
Tam blasphema fuit petulantia Dæmonis huius,
Est quoties Christi mentio facta Dei.
Hac tamen interdum paulum de clade remisit,
Vt somnum caperet laßa puella breuem
Mox uero euigilans, cum, qua ratione ualeret,
Quæreret hanc aliquis, talia dicta dedit.
In uastis uideor iactari fluctibus, ut si
Iam iam laßatum uerberet unda caput,
Et, nisi succurrant homines, retrahantq; ruentem,
Conciderem medijs interitura uadis.
Hæc ubi spectantes sic audiuere loquentem,
Agnouêre preces pondus habere suas
Ergo illam propter maiori ardore fideq;
Fecerunt summo plurima uota Deo
Quæsitiq; uiri diuinum dogma profeßi,
Quorum opera hoc fieret libera uirgo malo
Tentatum uarie est, sed nîl profecit in illa
Accersitorum sedula cura uirûm
Sed quoties & opem Iesu, nomenq; uocarunt,
Irrisor tantum dißimulauit opus
Adq; iocos alios, nugasq; reuersus aniles
Opposuit studio ludicra uerba sacro
Sic semel, hunc contra cum uir bonus & pius isthinc
Diceret in Christi nomine multa piè,
Principio est tanta ui debacchatus, ut illum
Audirent etiam tecta propinqua sonum

Dein petijt, saltans ut secum iungere greßus,
Et socium ciuis uellet inire chorum
Cui probus hæc animo forti respondit Helias.
Sis procul, & nostris, improbe, cede locis,
Non choreas inter populum tibi ducere Christi,
O scelus, aut socia uiuere lege licet
Te phlegethontæis mixti cruciatibus ignes,
Eumenidumq; cohors flagiciosa decet,
Hac tibi saltandum est socijs comitantibus istis,
Nil tecum nobis est, scelerate, rei
Risit, & his rursus Dæmon malus ora resoluit,
Si fugis hos nostros, ergo recede, choros
Suauia continuò cernes spectacula, moxq;
Ad saltum numeros concinit ille suos
Accurrêre simul canis ater, & improba feles,
Et cœpere hominum more mouere pedes
Huncq; diu saltum cum protraxißet uterq;,
In fumos subito post abiere leues
His paribusq; iocis conatum eludere sanctum
Tentauit stygius sæpius ille Draco
Sed tandem uicêre hominum pia uota bonorum,
Et, quas non dubia mente dedere, preces
Cumq; sacram uirgo gestata fuißet in ædem,
Staret & augusto concio crebra loco
Post gemitus, cantusq; pios, lacrymasq; precantum,
Fortiter ad tantum mysta paratus opus.
Dic iuratus, ait, quæ te huc intrare coegit
Causa, & quo factum tempore, quoue modo

Anne etiam sanctum quondam cognoris Iobum,
Pœnarumq; eius tunc minister eras?
Tum uero Sathanas rabie grandiq; furore
Percitus ex misera uirgine tale boat.
Ille ego tantarum cladum uelut autor Iobo
Has etiam uires nunc habuiße uelim
Omne genus morbi, sæui genus omne ueneni,
Spargere in humanos niterer ecce sinus
Sed prohibet mitis clementia magna Tonantis,
Is stringit nostris uela cupidinibus
Sic, ut & alterius spacium iam fugerit anni,
Ex quo tanta mihi fabula cæpit agi
Tandem lapsus in hanc ueni sub imagine muscæ,
Cum sitiens potum sumeret illa datum.
At dedit intrandi ueniam moderator Olympi,
Vt cruciem arbitrio corpus inerme meo.
Ius animæ nullum fecit, iußitq; potenter,
Ipsius ut populo talia dicta feram.
Abstineant luxu, fugiant mala fœnora, fastus
Ponant, & cedat crapula fœda procul.
Hæc etiam inuitus cogor, nolensq; docere,
Quamuis ingenio sint odiosa meo:
Non tamen ignoro, quod maior turba supremo
Confluet ex terris in mea regna die.
Cui, mentiris, ait sublata uoce sacerdos,
Peccator quiuis pœnituiße potest
Et merito Christi saluabitur, Ibis in ignes
Tu cum complicibus solus, inique, tuis

Interea hac ſummi diſcede ab imagine patris,
Atq; creatori da, fugitiue, locum
Sic te ſaluifici diuina potentia uerbi,
Sic digito Ieſus pellat, agatq; ſuo
Hæc ubi dicta, malus ſeſe diſcedere Dæmon
Velle negat, ſignum ni ferat inde datum.
Et nunc uel membri partem petit, aut capit unguem,
Vt probet hoſpitij iura uetuſta ſui:
Vel, ſi cuncta negent, de tot modo crinibus unum
Ex capite anulſum ferre, & abire ſinant
Nil conceſſum illi, ſed, ut hinc feſtinus abiret,
Admonitus, ſalua uirgine, triſtis ait
Omnes, qui ſtudio nunquam ſacra templa frequentãt,
Quos mandante Deo rara ſynaxis alit,
Quos capit ebrietas, & auari fænoris illex
Cura, poteſtati ſcite ſubeſſe meæ,
Hi niſi conuerſi poſthac reſipiſcere uere,
Et uitam in melius conſtituiſſe uolent.
Hinc fugio, ſed tu populum emendare profanum
Myſta mone uitæ turpia facta ſuæ
Quo fugis hinc inquit myſtes: reſpondit in amplas,
Stulta quibus gaudet luxuries, caligas
Quippe patens nobis in eis habitatio, Centum
Vnica nos omnes area tanta capit.
Dixit, &, ut denſum muſcarum proruit agmen,
Talis ab obſeſſo corpore cætus abit.
Liberaq; a tanto ſed adhuc quoq; languida uirgo
Hoſte Deo grates, quas decet, ore canit

At tu, terribilis quoties fit mentio casus,
Illius exemplo disce timere Deum.
Neue soporatum fingens super æthera Numen
Ex uera facias relligione iocum,
Sed uerbi reuerenter habe pia dogmata sacri,
Nec fuge congreßus simplice mente pios
Ieiuna, uigila, precibus flagrantibus insta
Nulla alia impurus cedit ad arma Draco

LAVRENTII SPAN. ELEGIA DE cruce hominis Christiani.

QVisquis in hoc mūdo Christū profiteris, & eius
Inscriptus castris sub noua signa uenis.
Ne tibi delicias persuaso pectore finge,
Ocia neu languens desidiosa pete.
Dæmonis, hæc capiat, signis qui militat atri,
Cui sunt cum stygio fœdera facta lupo.
Tu sanctum Christi regnum, uerbumq; profeßus
Mundanæ pacis spem procul ire iube,
Atq; in perpetui constans certaminis usum
Fidere corda Deo docta, patiq; gere
Dumq; imitanda tibi ueniunt uestigia Christi,
Par fieri Domino seruus amato tuo

Ille per insanas iactatus ubiq; procellas
In cruce te propter triste pependit onus,
Effuditq; suo roseum de corde cruorem,
Prima tibi hoc uestis tincta colore fuit.
Quid dubitas miseras patiens tolerare ruinas,
Subq; crucem flexo protinus ire genu?
Ista Ducis summi sunt symbola: Tolle paratus
Quisq; suam, prompte me praeeunte, crucem.
Tristia nec passum pigeat me uoce fateri,
Qui tibi me testem uis penes esse Deum
Tanti praesentis non sunt discrimina uitae,
Quin superet uitae gloria magna nouae
Hanc animo forti spem concipe, uictor ut olim
Praemia pro paruo summa dolore feras.
Dura tulit Christus, deîn dura tulere ministri,
Per quos doctrinam sparsit in orbe suam.
Audijt ille mali Cacodaemonis esse sodalis,
Et subijt spretam pendulus ipse necem
Discîpulis etiam merces par obtigit, illis
Intrepidus socias, si sapis, adde manus
Pressa subinde suas perfert Ecclesia clades,
Et foecunda nouis uiuit ubiq; malis
Insanit Pharao, saeuit grex Antiochorum,
Herodes astu pugnat, & ense uafer.
Dura subit Moses, moritur Machabaeus in armis,
Baptistaeq; fero tollitur ense caput.
Membra cadunt quaedam, sed toto corpore saluo,
Semper & hoc aliquis caetus in orbe manet.

Protectore Deo nil curans Dæmonis astus
Dum uictrix Christi nomen in ore gerat
Tunc, Quos se penitus Dæmon fudiße putabat,
Incipiunt Domini surgere uoce sui.
Christus habet regnum, uerbum succrescit in altum,
Et longe a mundi fine superstes erit.
Nos ad perpetuæ seruamur gaudia uitæ,
Qui pia pro Domino geßimus arma Deo
Corpora quaßentur telis lacerata malignis
Ex merito in cineres sic reditura suos
Dum modo pro Christi paulum patiantur honore,
Nec proprij culpam criminis illa luant.
Præside sic Christo per cœli templa feremur,
Et uincent solis corpora nostra iubar.
At, quibus ampla fuit nos hic uexaße uoluptas,
In loca sulphureo torrida ab igne cadent.
Qua stridor gemitus, fletus, cruciatus, & horror
Imperium præceps, & sine fine tenent.

FINIS.

CVM CONSENSV D.
Administratorum vtriusque partis.

EXCVSVM PRAGAE APVD
Ioannem Cantorem Typographum. Anno. 1560.